

operiat suum, orationis lorica corpus suum muniat; et hoc animae sanctae subsidio gratiaeque consilio, vim, patientiam, suavitatem, stabilitatem, prudentiam, spirituum discretionem regiminisque artem Pastor sibi comparabit, quibus tantum arduum sui muneris finem, in Ecclesiae, ac animarum bonum assequetur, quod nemo obtinebit nisi quem *Spiritus Veritatis intus docuerit et repleverit feceritque familiarem verbo per casti amoris connubium, per orationis assiduitatem, per iuge devotionis sacrificium*¹. Tunc vos unctionem habebitis a Spiritu Sancto et nostis omnia, et non necesse habebitis ut aliquis vos doceat: sed sicut unctio Eius docet vos de omnibus...².

¹ S. Laurent. Iustin. *Op. et loc. cit.*

² Ioann. II, 27.

CAP. II.

DE BONI PASTORIS PRUDENTIA

Pastoris sanctitate ecclesiastico regimine fundamento posito, [quod nemo nisi Deus ponere potest] postquam quae in re superna adiumenta sunt recolimus, ut humanas in re industrias, quibus tantum quae Dei sunt, a Pastore, prudentia mediante, in praxi deducuntur, indigitamus. Quum vero tum negativae, tum positivae sint huius virtutis partes, ut de alteris opportunius sermonem instituamus, de primis ante omnia dicemus. At quaedam de prudentia principia notionesque praecedant oportet, quae complectimur paucis.

Articulus I.

DE PRUDENTIA IN GENERE EIUSQUE OBSTACULIS.

§ I. — De huius virtutis in pastoralis regimine necessitate, ac quantum a politica discrepet.

SUMMAE RERUM. — 50. De prudentiae in regimine necessitate. — 51. Prudentia cum mala politica haud confundenda. — 52. Praecipui politicorum mores in regimine recoluntur. — 53. Quantum politicam inibi devitare intersit. — 54. Conclusio.

50. — *Artem Principum prudentiam esse, nimirum, prudentiam solam propriam virtutem Principis esse, tum Aristoteles¹, tum Angelicus² amplissime docent. Quod D. Thomas clarius explicat monendo: Prudentia in Principe est ad modum artis architectonicae³; et Philosophus quoque: aliae autem virtutes sunt communes subditorum et Principum: subditi autem non est virtus prudentiae, sed opinio vera⁴. Prudentia prima et propria virtus Praelatorum est [Abulenses monuere], quia actus Praelatorum est regere et ordinare alios: ideo ante caeteras virtutes Christus dixit quod Praelati debent esse sal, id est prudentiam habentes⁵.*

¹ *Politic.* III, cap. 3.

⁴ *Loc. cit.*

² II^a II^{ae}, quaest. 58, artic. 12.

⁵ *Toast.* quaest. 80, cap. 50.

³ *Loc. cit.*

Haud mirum, igitur, si prudentia *Sanctorum scientia*¹ Sanctis in Scripturis nuncupatur, in quibus idem ac sapientia sonat, cui mirificae laudes, iterum atque iterum, tribuuntur, quarum praecipuae recolere haud erit vanum. *In facie prudentis lucet sapientia*², et *in corde prudentis requiescit sapientia. Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis*³. *Cor prudens possidebit scientiam, et doctrina prudentium sancta*⁴. *Homo prudens placebit magnatis*⁵. *Inclina, igitur, cor tuum ad cognoscendam prudentiam*⁶, quia *sapientia fundavit terram, stabilivit coelos, prudentia aedificatur domus et roborabitur*⁷. Hac ratione Davidi similis efficeris qui *prudenter agebat, et Dominus erat cum eo*⁸. — Quod si hominibus omnibus, eo plus his qui praesidendo fidelibus, eos regere debent per necessarium censi est. Quamobrem Viro prudenti potius quam sancto paroeciae regimen committendum esse, iure, existimavere Veteres, et qui summam prudentiam potiusquam summam sanctitatem prudentia carentem ad tantum munus praefendum esse, quidam in regiminis arte peritissimus suadebat. Celebre est in re D. Bernardi illud: *si doctus est doceat nos, si prudens est regat nos, si sanctus est oret pro nobis*⁹. Et recte sane, quum si virtutes caeterae prudentiae caruerint libra, in vitium commutantur: nam omnibus in rebus indigitare medium, ipsis imponere modum [quo tantum extrema, quae semper vitiosa fuere, devitanda, et per medias incedendo semitas, virtutem amplecti valeamus] prudentiae est. *In omni possessione tua, igitur, acquire prudentiam: arripe illam et exaltabit te: glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inelyta proteget te*¹⁰.

51. — At, quod politicae astutiae est cum prudentia confundere multi solent, quod ab iis omnibus qui, ecclesiastica ratione, Christi gregem regere cupiunt, omnino devitandum. Prima, enim, *sapientia mundi, sapientia carnis, inimica Deo est*¹¹, quae a demone genita, mendacio fraudibusque alitur; altera, e contrario, *sapientia Sanctorum, sapientia spiritus*¹² dicitur, qua duce, subditorum perscrutantur mentes, monente Scriptura: *quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*¹³. Tunc fidelium animos adeo dulciter Pastor flectit ut non frangat, pro meritis studium tribuit, subdito-

¹ *Prov.* IX, 10.

² *Id.* XVII, 24.

³ *Sap.* VI, 1.

⁴ *Prov.* XVII, 15.

⁵ *Eccles.* XX, 29.

⁶ *Id.* II, 2.

⁷ *Id.* III, 19.

⁸ *I Reg.* XVIII, 14.

⁹ *Epist.* 24.

¹⁰ *Prov.* IV, 7-9.

¹¹ S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. X, cap. 29.

¹² *Ad Roman.* VIII, 7.

¹³ *Prov.* XXVII, 19.

rum infirmitatibus misericorditer medetur, suaviter potiusquam rigide sese gerit, prudentiores consulit, nihil praeceps agit, omnia mature considerat, ac media ad finem peropportuna eligit suadetque. Quae omnia quantum recto humano pastoralique praesertim intersit regimini ambigit nemo qui de huius mundi aliqua cognitione polleat. Haec si vero delecterint illud, e contra, implebitur: *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumnias*¹. *Ne, igitur, delecteris in semitis impiorum*², *oculi tui recta videant*³.

52. — Politicorum vero pastoralis in regimine praecipuos mores recolere praestabit, quo in Pastori ecclesiastico a politica aversio suadebitur. Qui mores his redeunt:

a) Aliorum consilia spernere, quo Pastor *sibi ipsi sufficiens, velut propriae vetustatis iura, disponit*⁴. *At frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma, et iudicia eius quasi vectes urbium*⁵. Nemo vero tantae scientiae est ut omnia scire possit et ut integram rerum habeamus notitiam, egemus aliis. Qui vero calliditate utitur, quod maioris momenti est per seipsum pro lubitu decernit, quae, e contrario, minora sunt consiliariis committit.

b) Aptos, sed quia veteres, coadiutores dimittere, ut, pro lubitu omnia revocare possit. At hac ratione, dum primae prudentiae principia convelluntur, paroeciae traditiones consuetudinesque [quibus ordo plurimum considet] pessumdantur, atque, inconsulto modo, dissipantur. *Acceptus est Regi minister intelligens*⁶.

c) Ineptos sibi deligere coadiutores ne Pastoris errorum iniuriarumque testes ipsi sint, ac nemo eius praepediat arbitrium. Verum, eorum ineptitudine, omnes regiminis fructus facile pereunt, et hac ratione politici ipsi *moliuntur fraudes contra animas suas*⁷.

d) Coadiutores laboribus obruere; quo, ne de inepto regimine obloquantur ipsi, labore omni adeo eos politicus onerat ut de paroeciae rebus nec cogitare sinat. Quod si viribus sese fessos obtestentur illi, tunc divinae gloriae rationem praetextatur, quo eos ad opus coget, a se vero elongantur et forsitan a loco removentur.

e) Adeo ambigue loqui ut de his rebus quae bene cedunt intumescere, de his vero quae male coadiutores incusare possit, illud

¹ *Id.* XXVIII, 16.

² *Id.* IV, 14.

³ *Id.* *Ibid.*, 25.

⁴ S. Petr. Damiani, *De Fuga dignit.* *Eccles.*, Cap. 2.

⁵ *Prov.* XIV, 35.

⁶ *Id.* XVIII, 19.

⁷ *Id.* I, 18.

iuxta Scripturae: *Callidus vidit malum et abscondit se, innocens pertransiit et afflictus est damno*¹, et illud: *astutus videns malum absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia*². At *bilinguis maledictus*³, *purus sermo pulcherrimus firmabitur a Domino*⁴: et *sermo opportunus est optimus*⁵: *non decet Principem labium mentiens*⁶. *Providendum*, igitur, est *Rectoribus ne, dum subiectorum inopiam satiant, se mucrone ambitionis occidant*⁷, et *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*⁸.

f) Coadiutorum personarum ac operum nimia suspicione, vel ialousia laborare. Tunc ne ipsi propriae gloriae officiant Pastores metuunt ac, ementitis rationibus, eos a loco, quamvis id non sine divinae gloriae detrimento fiat, dimittere conantur. At *ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius*⁹.

g) Subditis male agendi occasiones versute ponere. Absurdum quippe facinus esset insidias christifidelibus parare ut cadant atque carpentur, quo iussa importabilia imponuntur, falsis amicis quidam circumveniuntur, discordia fovetur, et ad rebellionem incitatur. At haec omnia quacumque mente provideantur, quam maxime ab omnibus improbanda sunt. Qui, enim, adeo male habetur, non modo prudentiam, sed immo et virtutem, cuius iactura non subditus tantum [tum apud Deum, tum apud homines rectos] poenam luet. *Illud observare Antistites debent ne ad abiicendam disciplinam per contradictionem instigent*¹⁰. *Ne moliaris, igitur, amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam*¹¹.

h) Ludicris et procrastinatoribus promissionibus subditos fallere. At *spes quae differtur affligit animam*¹², *nubes et ventus et gloriae non sequentes vir gloriosus et promissa non complens*¹³; e contra, qui cito dat bis dat, et *desiderium si compleatur delectat animam*¹⁴. *Ne dicas, igitur, amico tuo: Vade et revertere; cras dabo tibi, cum statim possis dare*¹⁵. *Abominatio, enim, est Domino omnis illusor*¹⁶, et *benefacit animae suae vir misericors*¹⁷. Quidquid sit, potiusquam aliorum spei illudere, convenienti ratione negare, praestantius.

¹ Prov. XXII, 3.

² Id. XXVII, 12.

³ Eccles. XXVIII, 15.

⁴ Id. XV, 26.

⁵ Id. Ibid., 23.

⁶ Id. XVII, 7.

⁷ S. Gregor. Magn. Regul. Pastoral. Par. II, cap. 7.

⁸ I Ad Corinth. III, 7.

⁹ Eccles. XXIV, 15.

¹⁰ S. Basil. in Constitut. Cap. 4.

¹¹ Prov. Ibid., 29.

¹² Id. XIII, 12.

¹³ Eccles. VI, 11.

¹⁴ Prov. Ibid., 19.

¹⁵ Id. III, 28.

¹⁶ Id. Ibid., 32.

¹⁷ Id. XI, 17.

i) Severitatem suavitati praeferre, de quo alibi dicemus¹.

l) A fidelibus nimis recedere, de quo mox dicemus.

m) Christianae observantiae tantum speciem colere, quo, dum externa omnia acta ac praecepta ad unguem compleantur, nil ultra politicus quaerit cupitque. At *inter hypocritas jure deputatur qui, ex simulatione disciplinae, ministerium regiminis vertit in usum dominationis*².

n) Instabilem esse, quo ne alicui displiceat callidus ille, omnibus praesto est, et flectitur nimis facile, culpas dissimulat, bonos vero negligit, et potiusquam emendare vitia, ea abdere satagit. At monet Sapiens: *ne ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam*³.

o) Nimia rerum temporalium sollicitudine laborare, ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore proveniente: quod praesertim lugendum cum plus temporalia quam spiritualia quis curet, in quibus Sapientiae illud, saepe impletur: *veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus*⁴. Enimvero *egestas a Domino in domo impii; habitacula autem iustorum benedicentur*⁵. *Sufficiat, igitur, tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuae*⁶.

p) Inordinata futurorum sollicitudo, qua, anxietate ac divinae Providentiae parva fiducia, futuris intempestivis occupamur. At *nolite solliciti esse in crastinum: crastinus, enim, dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua*⁷.

53. — Haec politico sensu Pastorem duci praecipua indicia sunt, ex quibus quantum pessima politica a genuina discrepet prudentia, et quantum a prima abhorreere ipse debeat clare patet. *Fraus cum omnibus foeda est, tum vero iis qui maiori sunt dignitate praediti foedior est quam aperta violentia!*⁸ At:

a) Politicam insequi perniciosissimum; nam circumvenire subditos, amicitiam mentiri, verbis [in dolum compositis] filios in fraudem inducere, venena pro lacte eis propinare, ecclesiastico praesertim Pastori [qui ex conscientiae debito, paternum pectus matrisque spondit ubera] nil indignius infensiusque haberi potest. Quae ubi et semel fideles compererint, concepta semel opinio, adeo eorum in animis infixata haeret ut, quamvis simulationem deponat politicumque omnem spiritum depulset, attamen numquam reperiat fidem: semel,

¹ Cfr. indic. alphabetic., *Regimen, Suavitas*.

² S. Gregor. Magn. Regul. Pastor. Par. II, Cap. 6.

³ Sap. IV, 8.

⁴ Prov. XXXV, 34.

⁵ Id. III, 33.

⁶ Id. XXVII, 27.

⁷ Matth. VI, 34.

⁸ S. Ioan. Chrysostom., Homil. 36, sup. I Corinth.

enim, in fraude doloque circumvenisse suos, semper est; semel benevolentiam amoremque simulasse, patremque verbis, alium ostendisse factis, aeternum; deceptus semel, depiciet semper! Nec ab annis remedium sperari potest; comitatur, enim, perpetua christifidelium diffidentia, nec quidquam speres, quum omnem eorum fiduciam, tamquam falce aut novacula, secuit; et licet Pastor ille ad non postremam deveniret sanctitatem reliquasque virtutes [sanctimoniae comites ac duces] consequatur, ab illa et sollerti simulatione proferta arbitrabuntur, ac venena fellaque sub favo latere suspicabuntur. Tunc sibi Deoque tantum, at non aliis, politicus iste [si adsit] Pastor vivere deinceps cogere, quum pastoralis regimini sane idoneus non sit.

b) Subditis quoque quam maxime infesta politica extat. Nam [uti superius diximus] si vel unum in Pastore politicum exemplum christifideles compererint, ad omnem illis fiduciam tollendam satis est; qua diruta, et pastorale paroeciae regimen diruitur. Sed apostolatui quoque haec agendi ratio ac fama periculosissima et perniciosissima; nam, ubi politici spiritus opinio pervagata populi mentes occupavit, tota periclitatur fides, qua fera una, maxima apostolico in ministerio sperari poterant. Quae Pastores inibi miracula patrarent, si tamen politicae suspicantur, dolo censentur, et, hac fama, veritatis sanctitatisque apostolatus omnis numquam delenda inureretur macula.

54. — Neque hoc dicimus quasi stultitiam, vel malignitatem suadentes; nam *in simplicitate cavenda est stultitia*¹, et *in prudentia cavenda est malitia*². Sed illam simplicitatem columbae suadimus *quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium... non obfuscatur dolus, quam [uno verbo] lux veritas illuminat*³. *Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter*⁴ *statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus aequum voluntas eius*⁵. *In malevolam, enim, animam non introibit sapientia*⁶; *in laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum*⁷, *qui nititur mendaciis hic pascit ventos*⁸, ac *iter devium ducit ad mortem*⁹; *qui recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea*¹⁰. *Cor, igitur, tuus [ne] loquatur perversa*¹¹, quia *cor ingrediens duas vias non habebit successus*¹² et *gravabitur in doloribus*¹³. E contra,

¹ S. Gregor. Magn, in Sept. Psalm. Poenitent., psalm. 5.

² Id. Ibid.

³ Id. Ibid.

⁴ Prov. X, 9.

⁵ Id. II, 2.

⁶ Sap. I, IV.

⁷ Psalm. IX, 16.

⁸ Prov. X, IV.

⁹ Id. XII, 28.

¹⁰ Id. II, 21.

¹¹ Id. XXIII, 33.

¹² Eccles. III, 28.

¹³ Id. VII, 29.

*veritas te non deserat, circumda eam gutturi tuo, et describe illam in tabulis cordis tui*¹: *veritas, enim, custodit Regem*². Candorem, igitur, in omnibus tam verbis, quam factis adeo praeserant Pastores ut, *non ambulantes in astutia*³, sed *amplectentes fidelem sermonem*⁴, adeo illos sentiant omnes, ut nil in verbis illorum fictum, nihilque ad cuiusque gratiam compositum clare perspectum omnes habeant. Ab animarum proinde paterno maternoque regimine omnis simulatio, omnisque politica agendi ratio [tamquam pastoralis regiminis pestis, mortiferumque moderationis venenum] exulent. Ab ecclesiastico Pastoris apostolico materno que pectore haec omnia absint, cui coelo Deoque [qui Veritas est] infixio, nec alius laborum ac studiorum conatus vitaeque finis est, in quo solo ipse [deceptionum mendaciorumque ignarus] unice in fide tutaque statione aeterna, in aeternum conquiescit. Pastores idcirco [qua decet reverentia] oramus obsecramusque ut [mente et operibus] cum Apostolo ingeminent: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*⁵. Pereat mundus, at [servatis prudentiae legibus] veritas semper ac ubique triumphet! *Beati qui ambulant in lege Domini*⁶; *fidelis, enim, sermo est omni acceptione dignus*⁷, qui et *accipiet benedictionem a Domino*⁸.

§ II. — De altero prudentiae obstaculo, seu de adulatoribus.

SUMMAE RERUM. — 55. Quantum adultores Pastori devitare intersit. — 56. Quomodo eorum mores agnoscendi. — 57. Quantum effugiendi devitandique sint, et ad rem normae.

55. — Adultores [quos Ecclesiae Patres iustitiae vituperium ac pestem indesinenter compellant] praecipuos perniciosissimosque prudentiae inimicos esse, ambiget nemo qui aliqua huius mundi agnitione polleat. Et recte quidem; quum nil humano animo infestius habeatur quam adulatio, qua Pastorum mentem perversi seducunt ut ad sua mala consilia [in innocentiae, veritatis, Ecclesiaeque detrimentum] miserrime deducant. Tunc adeo adultores versutia, tricisque [incredibile dictu] ut sua assequantur utuntur, ut si Pastor ingenue ipsis se fidat, in erroris

¹ Eccles. 29.

² Prov. XX, 28.

³ II Corinth. IV, 2.

⁴ Ad Tit., I, 6.

⁵ II Corinth. I, 12.

⁶ Psalm. CXVIII, 1.

⁷ I Timoth. I, 15.

⁸ Psalm. XXIII, 5.

baratrum [exsultantibus ipsis] coniiciatur! — Quod, ne contingat, maxima vigilantia opus est; nam si misellae humanae naturae condicionem spectemus, omnes adulationibus delectari conspiciamus, quibus ad laudem nostram intrinsecus animo laetamur. Sicque externus hostis cum interno inimico coniungitur, ac dum primum audimus, alteri subiicimus, qui [coniunctis viribus] ambo in vanae complacentiae superbiaeque foveam nos coniiciunt. — Nec satis: nam *adulatio diutius haeret quam auditur: nec facile est omnino dulcem sonum excutere: prosequitur et durat et ex intervallo recurrit*¹: sicque fit ut *animus a rigore suae rectitudinis mollescat in delectatione sermonis*². Tunc, dum adulationi aurem praebemus, veritati obsurdescimus, et quamvis nobiscum sit Vir Dei per quem possumus interrogare Illum, hunc odimus, quia non dulce [idest quod amamus], sed amarum [idest quod pertimescimus] nobis prophetat! — Quum vero veritatis spiritus cum adulatione cohabitare nequeat, tunc Deus a nobis recedit, iterum clamans: *egrediar et ero spiritus mendax in ore Prophetarum*³, et adulationem prediligentes, errore conficimur. Tunc, superbiae spiritu obcaecati ac superno afflatu vacui, tum nos ipsos, tum christifideles, tum paroeciam nobi commissam in infandam ruinam pertrahimus, et qui nos de profundo miseriae lacu eripiat haud erit. Dum, enim, erramus, veritatem spernimus, et quod baratrum est, uti fastigium putamus, — Magna miseria nostra haec est, a qua [Divina opitulante Gratia] assidua tantum vigilantia nos potest eripere: nam undique malis circumdati, eorum laqueis effugere vix equidem possumus. Enimvero si cuidam [de huius mundi eventibus expertissimo] fidem praestamus, *Praelatus rarissime invenitur qui non habeat assentatores sibi qui eum lactant et palpant, qui oleo peccatoris caput impinguantur*⁴. Enimvero et *in domibus episcoporum et regum habitant ranae pestilentes, coenomya et sciniphes, musca Aegypti gravissima..., adulatores garruli et mendaces*⁵. Immo praesertim Potentes apud, peccatores isti tentoria sua ponunt ipsisque laqueos tendunt, quum hoc unum ipsi poscant, ut, scilicet, se ipsos elevent, caeteros vero humilient, quod ab illis tantummodo qui in potestate constituti sunt assequi possunt. — Pastorem, igitur, qui ecclesiastici regiminis mentem assequi studet, in Domino oramus obsecramusque ut sedulo advigilet ne per Jerichuntinam huius mundi viam incedens, in infensissimos latrones istos incidat; quod si [misero

¹ Seneca, *Epist.* 123.

² S. Gregor. Magn. in *I Reg.* Lib. V, Cap. I.

³ *III Reg.* XXII, 8.

⁴ Petr. Bles. *Epist.* 15, *Ad. Comit. Rainald.*

⁵ Id. *Epist.* 20, *Ad Dominum Crispinum.*

fato] in eorum manibus devenerit, oculos auresque attente pandat... Secus, enim, universo sui regimini infandam ac saepe irreparabilem imminere noxam sciat.

56. — De adulatorum devitatione hisce praehabitis, quantum Pastoribus omnibus eos cognoscere intersit clare patet, quod pressius indigitare nostrum est. — Ante omnia, igitur, nummularios imitetur Pastor, *qui cum numisma percipiunt, prius qualitatem illius, post figuram, ad extremum vero pondus examinant, ne aut sub auri specie aes lateat, aut hoc quod veraciter aurum est, monetae reprobae figura dehonestet, aut quod et aurum et rectae figurae est, hoc non integrum pondus vigeat*¹. Igitur:

I) An opera dictis respondeant Pastor consideret, *ne sub virtute se vitium occultet, et quod prava intentione agitur, recti visione pallietur*².

II) Quod dicunt Pastores attendant, scilicet, *si a probatis monetariis, idest ab antiquis Patribus ducitur, et ab eorum vitae similitudine ductum, nullo errore vitiatur*³.

III) Genuinum eorum propositum Pastores exquirant: *nam si ipsi non coelestem patriam, sed culmen gloriae temporalis exquirunt, quomodo veri numismatis qualitatem tenent?*⁴. — Pressius vero adulatorum mores qui sequuntur Pastor esse sciat:

a) Adulator sine discretione omnia laudat, et quum nil aliud quaerat nisi animos capere, ferreo [sed specie tenuis aureo] thuribulo dicta et facta, immo et quae suspicetur cogitata, adeo dilaudat, ut si ei fidem praestes, fere perfectum te dixeris. Quod, si interdum, falleris, tantas excusationes affert, ut malum in bonum commutetur. At, meminerit Pastor, *quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantibus*⁵: neque illud Pastor obliviscatur: *impinguat caput oleum peccatoris cum demulcet mentem favor adulantis*⁶. Ne spernat, igitur, salutaria conscientiae monita, ne recipiat venenata colloquia; sed adulatorem ut amicum in obsequio, hostem in animo, compunctum in verbo, turpem in facto habendo, cum Psalmista Pastor clamet: *Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala..., qui dicunt mihi: Euge, Euge*⁷. Eos, igitur, diu loqui Pastor ne sinat, sed adeo cito severeque cohibeat ut quantum

¹ S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XXXIII, cap. 35.

² Id. *Ibid.*

³ Id. *Ibid.*

⁴ Id. *Ibid.*

⁵ *Prov.* XXXVII, 21.

⁶ S. Gregorius Magnus, *Homil. in Ezech.* Lib. II, Homil. 40.

⁷ *Psalm.* LXIX, 4.